

mana, & uniuersa Latina Ecclesia sentiamus? aperiet sequens

PROPOSITIO II.

Nicolai primi temporibus, qui sedit seculi IX. medio, seu circa A. 858. adeoque 50. circiter annis post Leonem III. additamenti hujus adeo impatientem, ut supra uidimus, factam fuisse hanc additionem in Romana Ecclesia, atque pro uniuersa Latina Ecclesia consecratam, probabilis est.

151. **P**robatur ex Encyclica Photii epistola ad primarias Sedes Orientales scripta, in qua præter alia ita debacchatur: Præter illa, quæ commemorauimus absurda, sacrum etiam, & sanctum Symbolum, quod ab omnibus synodis, & œcumenicis calculis irrefragabilem vim habet, & auctoritatem, spuris quibusdam, & falsis disceptationibus, & alienis rationibus, & audacia quodam excessu adulterare non dubitarunt. O! mali demonis artes, Spiritum S. non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere nouiter docentes. Exstat hæc epistola apud Baronium ad a. 863. Quod autem Photius in illa ep. de præsentis additamento arguat Ecclesiam Romanam, & per eisdem latus Nicolaum I. ex eo colligitur, quod calumniam in illa vibratæ petant Paulum Populonensem, & Formosum Portuensem Episcopos, Nicolai hujus ad Bulgarorum gentem Legatos. Quibus cum idem Pontifex Libros, quos ad uberiorem gentis hujus in Christiana Fide instructionem præuidit necessarios, se dedisse testetur in responsis ad consulta Bulgarorum relatis apud Coletum tom. 9. fol. 1534. uerisimillimum est, inter illos fuisse Symbolum cum præsentis additamento; de quo proinde, inquam de immani corruptela, immaniter uociferatus est Photius; non enim credibile est Legatos Romanis Pontificis, ejusdemque Subarbica-

rios, sua auctoritate Bulgaris Symbolum aliter tradidisse, ac Romæ tum recitabatur: ergo probabilis est, tempore Nicolai I. Romæ factum esse præsens additamentum.

152. Confirmatur I. ex Ratramno Corbejenſi Monacho, qui libro II. pro Romana Ecclesia contra Græcos, quum Photii temporibus conscripſit, illum ipsum tanquam ab illis obiectum violati Symboli crimen diluit. Postquam enim dixit: Spiritum S. à Patre procedere, & esse coadorandum, mox ita pergit: Dein Ariana repullulante uesania, uolenteque confirmare non esse recta Fidei, Spiritum S. dicere à Patre procedere; hoc, quia uideretur esse blasphemum, quoniam duorum uideretur Pater esse, id est, Filii, & Spiritus S., hanc quoque blasphemiam propellendam decernentes Ecclesia Doctores, superaddidere Symbolo, Spiritum S. à Filio quoque procedere: ne si de Patre tantum procedens diceretur, putaretur Filius, nec diceretur Spiritus Filii. Cum ergo dictus Ratramnus & tempore Photii scribat, & pro Romana Ecclesia scribat, & hoc additamentum ab Ecclesie Doctoribus ex dicta necessitate additum Symbolo fateatur, tempore Nicolai I. esse factum Romæ probabilis est.

153. Confirmatur II. ex S. Antonino Parte 3. tit. 22. c. 15. §. 10. ubi ait: Photium exprobrasse Nicolao I. quod ob additionem hujusmodi Anathema incurſisset ab Ephesino Concilio latum contra eos, qui Symbolo aliquid adderent.

Solvantur Objectiones contra utramque Propositionem.

154. **O**bjicit Liberius à Jesu contra primam Propositionem auctoritates Aristeni, & aliorum, sententium à Damaso primo hoc additamentum esse factum. Sed ad illas jam supra N. 139. respondimus.

155. Objicit II. auctoritates Latino-

rum

rum apud Garziam Loaysam in notis ad Concil. III. Tolet. & apud Durandum de ritibus Ecclesie Catholice lib. 2. c. 24. Item ipsum Symbolum Damasi, quod reperitur apud Hieron. tom. 9. in Benedictina uero editione tom. 5. fol. 22. in quo est hoc additamentum, constat autem Hieron. scripsisse ante Leonem M., ergo non auctoritate Leonis, sed Damasi factum est hoc additamentum.

156. Ad id, quod Garziam, & Durandum attinet, dico, eos, Liberio fatente, illius fuisse sententia, quæ docet hoc additamentum fuisse factum in ipso Concilio CP., quod est falsissimum, & consequenter Auctores, quos citant, Patronos suos uenerantur, qui proin Liberio non ſavent, quamuis Garzias I. cit. rejiciat sententiam aliquorum sub tō alii, qui sentiunt hoc esse factum sub Damaso in Concilio Romano: sed hi alii non sunt majoris auctoritatis Patronis nostræ sententia, nec proinde causam euincunt, quæ ex momentis in Conclusionem allatis decidenda est.

157. Ad Symbolum ex Hier. operibus allatum respondeo, illud esse supposititium; nam quæ Marius Victorinus in illo tomo descripsit, majori ex parte sunt incerti Auctoris, & Bellarminus de Historicis Ecclesiasticis affirmat, ex Damaso solum paucas Epistolas remansisse, quod & communiter sentiunt Eruditi.

158. Sed instat Liberius, dicens, quod prima ratio, si quid probat, solum euincit opera illa non esse Hieronymi, non autem Symbolum non fuisse Damasi. Eorum operum antiquus Auctor, uerba sunt eximii Liberii, & boni nominis (non enim consistat oppositum) potuit Damasi Symbolum ex aliquo legitimo codice transcriptum inserere. Nec ratio secunda satis subsistit. Præter Epistolas à Bellarmino citatas plurima existant carmina. Neque ea ratione quidquam concluditur. Quod enim non existit, haudquaquam probat non existisse. Vel S. Hieronymus, uel quisquis alius Auctor illius

Tom. I.

operis, potuit ex aliquo exemplari illud iumpſisse.

Respondeo, quod ratio prima præcedentis reſponſionis ſi explanetur, etiam erincat Symbolum non fuisse Damasi. Quamuis enim S. Remigius Lugdunenſis illius explanationem olim tribuerit S. Hier. lib. de 3. Epistolis c. 39. quamuis ab Augustino sermone 191. dictatam crediderit Guillelmus Parisiensis lib. de peccatis, & uitiis cap. 21. Pelagio tamen hæreſiarchæ, uelut legitimo parenti, omnium Virorum eruditorum suffragio jam adjudicatur ex euidenti testimonio Augustini lib. 1. de gratia Christi, &c. c. 32. in Benedictina editione N. 35. & Zozimi Papa Ep. 2. ad Africanos Episcopos in causa Pelagii, ubi illam dilectis uerbis Pelagio tribuunt, ubi patere ualidet LL. cit. insipienti. Exstat hæc explanatio Symboli Damasi in Benedictina operum S. Augustini editione in appendice tomi X. pag. 96. sub titulo Libellus fidei Pelagii ad Innocentium ab ipso missus, Zozimo redditus, ubi PP. Benedictini sub lit. E hanc notam faciunt: In veteri codice Vaticano reperitur est cum sequentibus litteris Zozimi, & à Baronio relatus in Annales ad A. 417. Ex quo apparet inanis replicæ Si enim hæc explanatio non est explanatio Symboli Damasi, sed Libellus fidei à Pelagio Hæreſiarcha in ſui purgationem expoſitus, quomodo Symbolum, quod in eo dicitur explanatum, & quod in dicto tomo operum S. Hieron. eidem explanationi præmittitur, Damasi erit? certe bonus ille antiquus Auctor ea ſelicitate, ne dicam ſinceritate, hoc Symbolum ex aliquo authentico exemplari deſumpſit, ſua ejuſ explanationi nomen Damasi, & Auctorem Hieronymum præfixit. Accedit, quod in dicto Symbolo quidem habeatur de Patre, Filioque procedentem, non uero in ſubnexa eidem explanatione; ſed unde ex Patre procedentem, quod, combinando utrumque, deprehendi. Quo fit, ut non tantum malam utriuſque conſarcinationem,

F

nem,

nem, sed insuper Symboli recentiorum interpolationem subodorare liceat. Et per hæc patet ad reliqua, quæ à Liberio in replica subnectuntur.

159. Objicit III. Auctoritatem codicis Cresconiani, in quo hæc ex Concilio Romano sub Damaso Papa dicit reperiri: *Spiritus S. non est Patris tantummodo, aut Filii tantummodo Spiritus. Scriptum est enim 1. Jo. 2. Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo: & Rom. 8. Qui autem Spiritum Christi non habet, non est ejus.* Ergo sub Damaso facta est primo hæc additio.

160. Resp. I. à nullo receptorum Collectorum Conciliorum allatum à Liberio locum ex codice Cresconiano Synodis Romanis sub Damaso celebratis inferi, ut patet ex Collectione Colet. & quæ, utpote omnium postrema, ex omnibus præcedentibus compilata est, in qua 6. Concilia sub Damaso Romæ habita referuntur, in quorundam nullo prædictum locum reperiri, bene vero in ultimo Canonem de Romanæ Ecclesiæ Primatu ex eodem codice excerptum; neque in horum Conciliorum tribus literis Synodicis invenitur, utpote quæ totæ in hoc sunt, ut consubstantialitatem Spiritus S. cum Patre, & Filio stabiliant, eundemque non esse *facturam Filii* asseverent. Quare cum præterea dictum locum neque patroni sententiæ Liberii pro se adducant, nec adversarii in objectionibus eundem referant, valde dubito, an in præfato codice reperitur; & si inibi habetur, an sub titulo Concilii Romani sub Damaso collocetur; si enim hoc esset, horum omnium lynceis oculos non efugisset. Sed quia ipsum nihilominus invenio in Baronio ad a. 447.

161. Resp. II. transmissio, quod locus ille genuinus sit, ex illo non colligi Damasum esse hujus additamenti auctorem, nisi improprissime, ut supra N. 135. monstravimus. Rem declarat ipse Baronius I. cit. inquit: *Porro non Leonis id fuit novum inventum* (scil. Spiritum S. ab utro-

que procedere) *sed prædecessorum traditionis nam Damascus hæc ait: Spiritus S. &c.* uti supra in objectione. Ex quo habetur Damasum fuisse auctorem Leonis in sua ep. ad Turribium processionem Spiritus S. à Filio asserendi, hunc vero Hispanis auctorem eam Symbolo CP. inferendi. Et consequenter Damasum improprie ad summum, & Leo proprie auctor hujus additamenti.

162. Objicit IV. Concilia Hispanica à nobis supra pro confirmatione nostræ sententiæ allata, in quorum Symbolis hoc additamentum reperitur, quod non nisi auctoritate Damasi factum fuisse contendit.

Sed supra in probatione primæ propositionis N. 143. & seq. jam vidimus id esse factum auctoritate Leonis M. Nunc contra II. propositionem

163. Objicit I. ex Baronio ad a. c. 863. Si Nicolaus I. hæc additionem in Ecclesia Romana recepisset, eamque pro universa Ecclesia approbasset, Photius altius in ipsum declamasset: sed cum duabus epistolis acerbissime in Romanam Ecclesiam invehatur, nunquam eum eo nomine fugillat, quod eam in Nicænum Symbolum invexisset.

164. Confirmatur ex Andrea Colofensi in Florentina Synodo sess. 6. ubi ait *Photius Romana Ecclesia inimicus acerrimus, nullam de Symboli additione faciens mentionem, in Nicolaum, ac Adrianum Summos Pontifices, literis invecus est plurimum.*

165. Resp. I. Nec Baronium, nec Andream respexisse ad id, quod supra N. 153. ex S. Antonio retulimus, ubi Photius Nicolaus I. exprobrat, eum ob hujusmodi factam additionem anathema Concilii Ephesini incurrisse.

Resp. II. Photium in dicta Epistola Encyclica sat alte contra Nicolaum I. declamasse, dum in legatos ab illo missos invehitur, quibus ille libros, quos ad Bulgarorum instructionem prævidit necessarios, dedit, ut constet ex ejus responsis

ad

ad consulta Bulgarorum apud Colet. tom. 9. pag. 1534. *relatis*, inter quos non postremo loco fuerit Symbolum cum additamento. Cum ergo Photius præter alia capita eos etiam de corruptione Symboli inculset, liquet, quod per cuniculum etiam Romanam Ecclesiam, & ejus Pontificem Nicolaum I. petat. Unde idem SS. Pontifex Ep. 70. ad *Hinemarum, & Gallicanos Episcopos* data, inquit: *Conantur tam nostrum specialiter, quam omnem generaliter, que lingua latina utitur, Ecclesiam reprehendere, quod jejunamus in Sabbatis, quod Spiritum S. ex Patre, Filioque procedere dicamus -- quia Presbyteros sortire conjuges prohibemus, &c.* En capita à Photio ibi reprehensa!

166. Dices. Hæc epistola, in qua plurimum fundatur hæc sententia, non est Photii, sed Silinii Patriarchæ CP. qui ab A. 995. ad A. 999. sedit; adeoque toto sæculo post Photium scripta: ergo eidem non patrocinatur. A. p. ex eo, quod hæc epistola in codice Collegii, quod Græci Romæ habent, hoc titulo præsignetur.

167. Resp. N. A. ad p. dico I. unum eodemic aliorum omnium fidem non evertere. II. Hanc epistolam esse à Photio scriptam, præter alia, manifestum esse ex eo, quod in illa dicatur Bulgaros à Græcis ante biennium conversos, à Latinis fuisse corruptos: supra autem vidimus eo tempore à Nicolao I. ad petitionem Legatorum Bulgarorum Latinos Missionarios eo esse missos. Videatur Baronius in crisi hujus ep. l. c.

Restat nunc quæstio, an hæc additio jure facta fuerit à Latina Ecclesia? Sed hæc inferius, agendo de Symbolo Florentino, commodius pertractabimus. Hic pro coronide adhuc

168. Observandum I. Symbolum CP. pro uno eodemque passim habitum esse cum Nicæno ab Authoribus Ecclesiasticis. Sic illud imprimis accepit Synodus Ephesina. Sic Marcus Ephesius in Synodo Florentina sess. 5, sic Theodoretus Lector lib.

2. collect. ubi ait: *Timotheus* (Patriarcha CP. a. 511.) *ab amicis rogatus Symbolum Fidei 318. Patrum per singulas Synaxes dici curavit; ad reprehensionem videlicet Macedonii, quasi ille Symbolum hoc non receperit: ubi per Symbolum 318. Patrum præfens CP. intelligi evidens est; siquidem ad reprehensionem Macedonii editum dicitur.*

169. Observandum II. hunc Theotheum frequentioris hujus Symboli recitationis esse Auctorem, cum alias in Orientalibus Ecclesiis quotannis tantum in die Pasceves recitaretur. Quem morem Hispani eodem sæculo primi inter Latinos receperunt in Synodo Toletana III. Illud autem cantabant post consecrationem, & ante orationem Dominicam: qui ritus adhuc permanet in Missali Mozarabico. Hinc morem illum in Hispania derivatum putat Mariana, qui ad nostram ætatem retentus est, ne ad Sacram Communionem quisquam admittatur, priusquam Christiani Symboli partes omnes, præunte Sacerdote, pronuntiaverit. Quomodo cantus ille Symboli in aliis Ecclesiis paulatim receptus, & quando tandem etiam Romæ usurpatus fuerit, jam supra vidimus.

§. V.

De Symbolo vulgo S. Athanasii.

170. Quamvis, si S. Athanasius hujus Symboli esset Auctor, illud ordine chronologico ante Symbolum CP. collocari deberet, cum Athanasius obiit a. C. 373. Symbolum vero CP. consecratum sit a. 381. Nihilominus, tum quia hoc certum non est, tum quia nec itam Symbolum istud evasit Œcumenicum, tum quia CP. Fides est Nicæna inhxiva, & passim à Scriptoribus cum illa confunditur; illam huic merito præposuimus. Fuit autem S. Athanasius Alexandrina Ecclesiæ Patriarcha, Nicæna Fidei contra Arianos defensor acerrimus, qui post in-

F 2

nume-

numeros pro Christi Fide, illa turbulentiſſima tempeſtate, ſuperatos agones, in teſtulo tandem ſuo Alexandriae in pace bona quietus anno mox citato 373.

171. Symbolum hoc in Breviario Romano diebus Dominicis, atque in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis ſub Prima recitandum præſcribitur, cujus tenorem, ſicut & illum, quem habet ex Græcorum interpolatione, (cujus exemplar Uſſerius nactus eſt ex apographo Patricii Junii, illudque edidit a. c. 1647. unde à Coletio tranſcriptum eſt tom. 2. Concil. pag. 630.) hic adnumerabimus, interpolationibus diverſo charactere notatis.

Symbolum S. Achanafii,
Prout in Latina Eccleſia recitatur.

172. **Q**uicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem. Quam niſi quiſque integram, involatamque ſervoaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt, ut Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt Divinitas, æqualis gloria, cœterna Majeſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Inæcreatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres æterni, ſed unus æternus. Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus, & unus immenſus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus. Et tamen non tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus. Ita Do-

minus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Quia ſicut ſingillatim unamquamque Perſonam Deum, ac Dominum conſiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres: Unus Filius, non tres Filii: Unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. Et in hac trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil magis, aut minus, ſed totæ tres Perſonæ cœternæ ſibi ſunt, & cœquales. Ita ut per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, & Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu-Chriſti fideliter credat. Eſt ergo Fides recta, ut credamus, & conſiteamur: quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus, & Homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus: & Homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus. Perſectus Deus, perfectus Homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum Humanitatem. Qui licet Deus ſit, & Homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non conſeſſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione Humanitatis in Deum. Unus enim non conſuſione ſubſtantia, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo: ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: inde venturus eſt judicare vivos, & mor-

tuos.

tuos. Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis: & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum. Hæc eſt Fides Catholica: quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Idem Symbolum à Græcis interpolatum.

Ex Sancta, & univerſali Synodo Nicœna Fidei compendium; & quomodo verum Chriſtianum oporteat credere.

173. **Q**uicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat orthodoxam fidem: Quam niſi quiſque integram, involatamque ſervoaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem orthodoxa hæc eſt: ut Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. Sed Patris, & Filii, & Spiritus S. una eſt Divinitas, unum Robur, una Potestas, unum Regnum, æqualis Gloria, æqualis, & Majeſtas, & cœterna. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. Inæcreatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus S. & non tres increati, ſed unus increatus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus S. Et non tres immenſi, ſed unus immenſus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S. Et non tres æterni, ſed unus æternus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S. Et non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. Et non tres Dii, ſed unus eſt Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus S. & non tres

Domini, ſed unus eſt Dominus. Et ſicut ſigillatim unamquamque perſonam Deum, & Dominum conſiteri Chriſtiana veritate deſendimus: ita tres Deos aut tres Dominos dicere non comprobamus, ſed omnino prohibemus. Pater à nullo eſt factus, non creatus, ſed ingenuus. Filius eſt à Patre non factus, non creatus, ſed genitus; Spiritus S. à Patre (1) eſt, non factus, non creatus, non genitus, ſed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus S. non tres Spiritus S. Et in hac Trinitate nullus primus, aut poſtremus, nullus major, aut minor: ſed tres ipſe Perſona, & æternæ ſunt, & æquales per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt. Unitatem igitur in Trinitate, & Trinitatem in Unitate, omnis Chriſtianus veteretur: & ita de Sancta, & vivifica, & conſubſtantiali Trinitate ſentiat.

Neceſſarium vero eſt, Incarnationem quoque Filii Dei, & Salvatoris noſtri J. C. recte credere. Eſt ergo fides recta, ut credamus, & conſiteamur, quod D. N. J. C. Dei Filius, Deus, & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris: Homo eſt ex ſubſtantia Matris. Quia enim peccatus Adamus morti genus humanum ſubjecit, & naturam noſtram (reddendo) debito fecit obnoxiam: idcirco Filius inviſibilis Patris, & Dei, ex cœlis non deſcendens, ad nos deſcendit: & per auditum ingreſſus uterum S. Virginis, arcano modo, ut prægnans ea eſſet, operatus eſt, induens naturam noſtram per ſummam unionem, Deus ſimul, & homo progrediens, eam, quæ ad nos ſpectat, diſpenſationem ita implevit per commiſerationem ineffabilem, & perfectus Deus exiſtens factus eſt perfectus homo, non converſa, neque commutata ſupereſſentiali, & inexplicabili Deitatis ſue ſubſtantia ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Ipſe ſibi cum cognato ſuo Sanctiſſimo Spiritu fabricans

ſanc-

(1) Hic omiſſum τὸ, & Filio,

sanctissimam carnis assumptionem: perfectam substantiam humanam, in eo subsistentem, & ab eo inseparabilem, peccati minime participem. Corpore ex virginis, & castis sanguinibus Matris Dei compacto, absente carnali aliqua voluntate vel cogitatione: anima vero immaterialiter creata, intellectuali, rationali, voluntate, & vi agendi prædita: tota simul cum carne divinitate repleta, ab ipso principio, & prima existentia, propter summam, & inconfusam, secundum Personam, ad ipsum Deum Verbum factam unionem.

Æqualis igitur est Patri secundum divinitatem, minor vero Patre secundum humanitatem. Planeque verus Deus est, & homo. Unus autem non conversione carnis, sed assumptione in Deum. Unus omnino non confusione substantiarum, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita & Deus, & homo unus est Christus. Qui passus est carne pro salute nostra, impassibili manente divinitate; & sepultus, & resurgens, & assumptus ad cælos, sedet ad dexteram Dei, & Patris. Inde vero iterum venturus, judicabit vivos, & mortuos. Ad cuius adventum omnes, qui à sæculo dormierunt, homines resurgent; rationem redditori de factis suis: & qui bona egerunt, ibunt illius mandato in vitam æternam; qui vero mala egerunt, ibunt ad cruciatum æternos. Hæc utique Fides est Orthodoxa, quam nisi quis inculpatam servaverit, salvus esse non poterit.

174. De hoc Symbolo S. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. ad 3. sic habet: *Dicendum, quod Athanasius non composuit manifestationem Fidei per modum Symboli, sed magis per modum cuiusdam doctrinæ; ut ex ipso modo loquendi apparet: sed quia integram Fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi Fidei regula habeatur. Quamvis ergo Symbolum, quod*

vulgo Athanasio tribuitur ex mente D. Th. (Œcumenicum non sit, sed opus privatum Inlex Symbolorum Hilarii, Basilii, &c. ad commendationem tamen Pontificum, Episcoporum, & Synodorum particularium ita falsum est receptum, ut quasi Fidei regula habeatur. Etenim Gregorius IX. illud commendavit Græcis a. 1233. per suos Apcrisarios Rodolphum, & Aymonem ex Minorum, & Hugonem ac Petrum ex Prædicatorum Ordine; & Eugenius in decreto pro Armenis sic habet: *Sexto compendiosam illam Fidei regulam per Beatissimum Athanasium etiam ipsis præbemus, videlicet, Quicumque vult salvus esse, &c.* Hincmarus etiam Rheimensis a. 852. præcipit singulis Ecclesiæ Ministris, ut discerent explicationem Symboli Apostolorum, Orationis Dominicalis, & Symboli Athanasii. Et ante huac S. Leodegarius Episcopus in Synodo Augustodunensi a. 670. cuius hic est Canon: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod S. inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, & Fidem S. Athanasii Præfatis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnatur.* Habetur hic Canon apud Colet. tom. 7. pag. 552. post alios hujus Concilii Canones.

175. Circa hoc Symbolum controversantur tria inter Eruditos. Primum, & principale est: Utrum S. Athanasius sit illius Author? & si est, quando, & ubi illud composuerit? quod est secundum. Si vero non est, quis tandem sit ejus Auctor? quod est tertium. Primam controversiam infra quæstione critica discutiemus: & quia ibidem in negativam sententiam inclinabimur, tertiam per modum corollarii eidem subnectemus; circa secundam autem quædam hic præmittemus.

176. Sciendum ergo est, quosdam, qui Athanasio hoc Symbolum adjudicant, & suppresso nomine referuntur à Nat. Alex. Sæc. 4. c. 6. N. 6. asserere, S. Athanasium hoc Symbolum Treviris scripsisse, ubi

ubi puteus ostenditur, in quo latitans odii insidias Arianorum illud composuerit. Sed de historicis hujus veritate, saltem quoad hoc, quod in puteo latitans illud scripserit, dubitat Binus in notis ad hoc Symbolum. Et Alex. eam veluti commentum ex hac urgente ratione refellit: quia Treviris honeste susceptus est S. Athanasius, nec ut exul, sed ut Confessor, cum Episcopus Trevirensis tum esset S. Maximinus Arianorum acerrimus hostis, & Nicænæ Fidei egregius defensor, & Athanasium illuc miserit Constantinus, ut eum Arianorum furori subduceret, ut constat ex litteris Constantini Junioris ad Ecclesiam Alex. quas ipse Author refert *Apologia II.* contra Arianos, habeturque in ejus fine, & in operum ejusdem editione citata fol. 176. Denique omnes Scriptores Ecclesiastici Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Simeon Metaphrastes, & Græcus alter vitæ S. Athan. Scriptores anonymus, dum has ejus in puteo Trevirensi latebras alto silentio prætereunt, insulam esse fabulam discrete probant. Latuit equidem Sanctissimus hic Præful sex annis in cisterna: at in Ægypto, & Constantii tempore.

177. Alii, inter quos est Eminentissimus Annalium Parens ad a. c. 340. c. contra sentiunt, illud Romæ ab Athanasio hoc anno editum, & Julio Papæ oblatum fuisse, quod necesse esset, ipsum Catholicæ Fidei professionem palam dicere, ut Romanæ Ecclesiæ communionem fruere: alias enim audiendum non fuisse, qui reus advenerat, & multorum criminum ab Eusebianis accusatus.

178. Sed hanc conjecturam, in quantum nempe iterum dicit S. Athanasium ex allegata causa ad edendum hoc Symbolum fuisse necessitatum, hac unica observatione refellit Nat. Alex. l. cit. quod nempe Sanctissimus Præful non fuerit apud Julium Pontificem de doctrina accusatus (Eusebiani enim ejus hostes Nicænæ Fidei se assentiri simulabant) sed de eo, quod à Synodo damnatus, nec ab ea restitutus, Se-

dem contra Canones recepisset, quod ejus Alexandriam reditus multarum cædium causa extitisset. Cum itaque non hæreseos, sed aliorum criminum accusaretur S. Athan. & Julio, Catholicicæ omnibus fidei ejus integritas nota esset, incredibile est, quod ab eo Julia professionem fidei exegerit.

179. Sed adverto Natalem Alexandrum sententiam Baronii genuine non referre; ille enim loc. cit. pag. in edit. Antuerpiana de a. 1593. 435. non negat Julio, & omnibus Romanis Athanasii fidem perfectam fuisse; dicit enim ibi: *Quantumlibet ipsius fides Catholica omnibus immotisset, ut nulla penitus suboriri potuisset suspicio, quippe qui ejus defensionis causa ab Eusebianis post tot ærumna etiam exilium passus esset: hoc tamen non obstante, pergit: Tamen quod Romana Sedis communicationem haud habere licuisset — nec plane audiendus esset, qui reus advenerat, nisi edita prius Catholica Fidei professione, eademque ex more, latino sermone coram Pontifice, & ei assidentibus recitata. Quo loquendi modo insinuare videtur Baronius Romæ tunc fuisse morem, ut judicandi de quocumque crimine prius fidei professionem emitterent. Quare*

180. Admisso etiam quod talis mos Romæ tunc vigerit, & quod hæc fit mens Baronii, alia conjectura valde efficaci contra hanc sententiam insurgo, qua probatur Athan. saltem fidem suam non ita, prout in Symbolo est, Confessum Romano exposuisse. Si enim Romæ conditum, & palam recitatum fuisse hoc Symbolum ab Athanasio, quis fide persuadere poterit, quod nullum exemplar in scrinio Apostolicæ Sedis custoditum fuerit; quod S. Leo, sæculo tantum posterior, qui sæpius post quartam Synodum scribens ad Orientales Episcopos, ad propriam Orientalium traditionem appellat, exinde Nulam mentionem fecerit Athanasiani Symboli, in quo tam expresse, & tam distincte Nesto-

Nestorii, & Eutichetis hæreses confodiuntur? difficile enim plane videtur, quod opus adeo pretiosum, & monumentum hoc commendatissimum S. Leonis notitiam, & diligentiam omnino effugerit; præcipue quia in Pontificiis Archiviis hujusmodi fidei professiones sedulo conservabantur, cum utilissima forent ad nascentes hæreses profligandas.

181. Scio Baronium l. cit. scribere, hoc Symbolum in R. E. amplissimo Archivo una cum actis Synodi fuisse collocatum. Sed hoc nude asserit, & contrarium videtur evincere mox adducta ratio, quam ex Cajetano Merati, Gavanti Locupletatore p. 2. sect. 5. c. 20. placuit hic apponere. Qui postea mentem suam ita declarat: Inter Autores igitur, qui præfatum Symbolum S. Athanasio tribuunt, veritati propius accedunt, & congruentius loquuntur illi, qui Treviris ab eo scriptum fuisse opinantur; quia sinceriores sui notitiam Trevirensi Metropoli debet hoc monumentum; cum enim multis argumentis, & antiquis monumentis comprobetur à Cl. viro Josepho Anthelmio in sua doctissima disquisitione de Symb. Athan. sect. 2. hanc fidei confessionem ab initio nullius Authoris nomen prætulisse, & deinceps Athanasii nuncupationem quinto labente Sæculo ex conjecturis ac opinione primum illi datam fuisse: prædicta sententia hunc colorem profecto asfundere potuit mox memorata hujus Symboli exploratio Trevirii primum facta, & exinde ex Trevirensibus educio; cum enim dum in Galliis exulabat, Trevirim per biennium incolisset Athanasius, & Symbolum suo nomine adornatum Catholicam suam doctrinam splendide referat, ab eo in eadem Urbe digestam hanc fidei confessionem cum aliquo fundamento credi potuit: præsertim vero quia idem monumentum ibidem aservatum, ibidem primo detectum, & deinde in alias orbis regiones transmissum fuit. Hujusce opinionis assertor est Durandus: — Sed lon-

ge ante Durandum ab Othone Frisingensi in Chron. lib. 4. cap. 27. observatum fuit, quod Athanasius manens in Ecclesia Trevirorum sub Maximino ejus Ecclesie Episcopo, Quicumque vult salvus esse, &c. à quibusdam dicebatur edidisse. Quia quidem opinatio nupiam verisimilius ortum traxisse credi potest, ut dixi, quam ab exploratione Symboli ejusdem Trevirii primum facta, ut optime etiam ponderat cit. Autor sect. 2. c. 3. Hæc Merati.

In quarum opinionum conflictu, cuiuslibet affirmanti Symbolum ab Ath. esse compositum, relinquo, cui parti adhzere malit, & ad principalem quæstionem progredior.

QUÆSTIO CRITICA.

Utrum S. Athanasius sit Auctor Symboli, quod Athanasianum dicitur?

182. **P**artem affirmativam tenet Baronius l. cit. sequitur Cardinalis Bona lib. de divina psalm. 16. Bellarminus de Scrip. Eccles. in Athan. Possévinus in apparatu sacro, Annatus in apparatu ad Theol. positivam lib. 4. art. 17. Hæc insuper fuit communis persuasio Scripturum Ecclesiasticorum, & Theologorum, saltem à Sæculo 7. uti infra patebit. Eam denique novissime contra Nat. Alex. tuerit Liberius à Jesu tom. 1. operum posthum. Tr. 1. disp. 1. Controv. 10 §. 2.

183. Negativam è contra defendunt Natalis Alexander hist. Eccles. Sac. 3. c. 6. Oudin in supplemento ad Bellarminum de Scrip. Eccl. ad a. 340. Gotefridus Hermantius Bellovacensis Canonicus in suis observationibus ad vitam S. Athanasii, Josephus Anthelmus l. supra cit. Volsius dissert. 2. de tribus Symbolis, Henricus Heideggerus tom. 2. select. disput. dissert. 18. Dupinius in notis ad scripta Athanasii tom. 2. Biblioth. pag. 101. Juvenin Institut. Theologicarum tom. 6. dissert. 4. art. 3. §. 4. & post hos omnes, ac, teste Merati loc.

loc. cit. his omnibus præferendus clarissimus Montfauconius Monachus Sangermanensis Athanasianorum operum diligentissimus editor, & illustrator tom. 3. in fine, & alii plures.

Ipsè Merati, pressus ex una parte auctoritatibus, ex altera rationum ponderibus, rem iudicio Lectoris expendendam relinquit, nihil desuare audens.

PROPOSITIO.

Quamvis certum non sit, verosimilius tamen est, Athanasium non esse Authorem hujus Symboli.

184. **P**rima propositionis pars patet ex Eruditorum circa hanc rem diffidio. Secunda constabit ex ponderatione utriusque sententiæ fundamentorum. Itaque sententia negativa suadet primo ex discrepantia Auctorum sententiæ affirmativæ circa tempus & locum, ubi hoc Symbolum S. Athanasius condiderit, uti supra vidimus.

Nec hoc argumentum, ut ut alias infirmum, hic tam facile explodi potest, ac existimat Liberius à Jesu; nam omnes fere antiqui Scriptores fuerunt in ea persuasione, quod hoc Symbolum ab Athanasio fuerit vel Romæ, vel Treviris conditum, aut saltem tempore exilii sui in Occidente, cum omnium consensu latino sermone, & quidem nitido proorsus, ac rotundo fuerit compilatum: non est autem credibile, Athanasium inter suos Græcos degentem, in gratiam itidem Græcorum Symbolum latino sermone conscripsisse. Infra autem n. 190. & seqq. vix non demonstrabimus, Sanctissimum hunc Presulem hoc Symbolum ante a. c. 362. adeoque tempore hujus sui exilii minime edere potuisse: ex quo palam fiet, dictam discrepantiam auctorum circa tempus, & locum hujus editionis, eorumdemque fundamenta, sententiam negantium multum stabilire.

Tom. I.

185. Suadetur secundo ex silentio Patrum Athanasio coævorum, & supparium, quorum nullus meminit hujus Symboli non S. Gregorius Nazianz. Athanasii Pagnegyrista, non S. Hilarius, non S. Augustinus, uti in objectionibus videbimus, non S. Cyrillus S. Athanasii successor, non S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, non S. Leo M. non Synodi Ephesina contra Nestorium, Chalcedonensis contra Eutichetem celebratz. Non Latini contra Græcos post schisma Photianum usque ad Gregorii IX. tempora, seu per 500. annos, quos tam validum contra errorem Græcorum de processione Spiritus S. argumentum ex tanti Patris auctoritate neglexisse, si illud NB. pro indubitato ejusdem nomine (nam eo jam tempore sibi hoc factum circumferebatur) habuissent, vix credibile est.

186. Suadetur tertio. Quia hoc Symbolum in antiquis, & probate fidei codicibus Mss. operum S. Athanasii penè omnibus desideratur. Nec ipsè Athanasius in suis epistolis, vel apologiis, in quibus res majoris momenti à se gestas tam accurate, & fide percenset, unquam hujus Symboli à se editi meminit. Accedit, quod S. Athanasius in epistola ad Antiochenes, seu in Synodica Concilii Alexandrini à se a. c. 362. celebrati, quæ in ejus operibus cit. editionis exstat fol. 37. & apud Colet. tom. 2. pag. 940. procul se fuisse à condenda nova fidei formula testetur, & Nicænz Synodi Symbolum suis omnibus numeris absolutissimum esse contendat. Quæ quomodo scribere potuisset, si simile quid ipsè Romæ, vel Treviris jam attentasset, non video. Sed de hoc infra urgentius.

187. Suadetur quarto. Quia Symboli hujus verba, & sententiæ manifeste videntur indicare latinum Scriptorem, neque ullam versionem ex græco factam notam præferre; si enim verum ex græco fuisset, multa græcæ dictionis in latina interpretatione comparerent, uti solet in ejus ævi versionibus observari. Neque dici posse videtur,

G

detur,

detur, ab Athanasio fuisse latine compositum: namque Scriptorem redolet, pro illa ætate latinum hermonem perfectissime callentem; non solum quippe verbis, sed etiam numeris, periodorum commensuratione, ac rotunditate, modulisque elucubraturum est hoc Symbolum, ita ut vix credi possit, S. Athanasium, si in ætate jam provecta laborem ediscendæ peregrinæ linguæ etiam subisset, perfecte adeo, & excellenter peregrinum idioma assecutum fuisse, sibi que familiare reddidisse.

188. Suadetur quinto. Quia hoc Symbolum præfocet hæreses post Athanasium primo damnatas; in eo quippe excluduntur errores Apollinaristarum, Nestorianorum, Eutichianorum, Macedonianorum, qui Athanasio juniores sunt: ergo ab aliquo Athanasio posteriores hoc Symbolum videtur compositum, qui particulas hæresum istarum exclusivas de consilio eidem inseruisse videtur.

189. Hæc sunt momenta, quæ à negantibus communiter afferuntur, & ab affirmantibus solvantur, ut patet legenti eximium Liberium à Jesu. Nec tanta sunt, si in tertia probatione insinuatam excipias, quæ commode solvi non possint, aut negativam sententiam probabiliorē efficiant. Quapropter istum hic annexo argumentum Montisauconii à Liberio à Jesu præteritum, quod & præcedentes conjecturas stabilit, & sententiam negativam reddit verifamiliorē: illud nostra methodo, ut sequitur, proponemus.

190. Suadetur Conclusio sexto principaliter. Si quis fidei formulas, vel ab Athanasio, vel Athanasii aëo conscriptas, cum hoc Symbolo conferat, tantum animadvertet inter illa discriminis, ut vel hinc solum arguere poterit, & alii aëo, quam Athanasiano, & alii Scriptori, quam Athanasio, Symbolum hoc adjudicari debere: ergo Athanasius non est ejus Author. A. patet legenti quas Athanasius accurate collegit sui aëi fidei confessiones; ibi etenim nunquam reperiet formulam istam

tres Personas, aut græce tres Hypostasas in Catholicorum Symbolis admittam, & promulgatam; licet enim una eademque semper fuerit Ecclesiæ doctrina de Trinitatis mysterio, nondum tamen hæ formulæ receptæ, & in confesso erant, imo ab Athanasio in Concilio Alexandrino supra n. 186. rel. ægerime latæ, & Symbolo addi prohibita.

191. Probatr primo, quod hæ formulæ aëo Athanasii nondum fuerint receptæ, & in confesso, ex dissidio orto inter Græcos, & Latinos in dicto Concilio, quod ipse Athanasius nonnihil tunc fedavit. Nam Græci, qui tres Hypostasas dicebant, teste Gregorio Nazianzeno oratione de laudibus Athanasii, ad calcem operum ejus in cit. edit. pag. 499. recentia, videbantur Latini tres usas, sive essentias cum Ario dicere, eo quod *tota Græcorum profanorum Schola* (ut loquitur S. Hier. ep. 57.) *discrimen inter hypostasim, & usiam ignorabat.* Latini vero, qui, rejecto nomine hypostasis, personas dicebant, Græcis videbantur distinctionem non realem, sed tantum ratione muneris sive officii inter Patrem, Filium, & Spiritum S. agnoscere; eo quod Persona vocabulum ad auctoritatem officii significandam accommodari solet. Hanc ergo controversiam sic fedavit Athanasius. Vocatis namque & iis, qui tres Hypostasas, & alius, qui unam tantum conlitatebant, primos interrogavit, num sic tres hypostasas ponant, quomodo Ariani, *alienas, peregrinasque, ac diversæ a se invicem substantiæ, & unamquamque hypostasim per se, ac seorsim divisam esse, ut ceteræ creaturæ, & qui res hominibus nascuntur* ad quod illi responderunt negative, & particulas illas in sensu catholico explicarunt, ut legere est in cit. Synodica hujus Concilii. Deinde quæsit Athanasius ab iis, qui unam tantum hypostasim statuebant, utrum ad mentem Sabelli loquerentur, *ut sublato velent ex Trinitate Filium, & Spiritum S. quasi Filium essentia careat, aut Spiritus S.*

non

non subsistat? at ipsi professi sunt, se longe alia sentire. Nam idcirco singulare Trinitatis hypostasim se statuere, *quia hypostasim idem esse cum Usia intelligebant.* His auditis assensu sunt alterius partis homines, atque ita omnes convenerunt, ut, omnibus hæresibus anathematis gladio perfosis, aliam fidei formulam non exigent, aut aliam verborum conceptionem, præter eam, quam Nicæna Synodus expresserat.

Ille tamen concordie modus non adeo placuit posteris Latinis, quibus hypostasis substantiam significare videbatur, atque adeo tres hypostasas dicere idem erat, ac tres asserere substantias. Unde S. August. l. 5. de Trinitate c. 8. hæc habet: *Essentiam dico, usia græce dicitur, quam usiatius substantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hypostasim, sed nescio, quid volunt interesse inter usiam, & hypostasim.* Et paulo ante S. Augustinum sub Damasi Pontificatu discussa fuit hæc de hypostasis controversia, de qua nonnulla ad ipsum Damasum scribit S. Hieron. ep. 57. ubi inter alia dicit: *Taceantur tres hypostasas si placet, & una teneatur:* pergitque sub melle phrasim trium hypostasium venenum latere, quia nempe Ariani hoc vocabulo utebantur ad designandam substantiam, ut patet ex ep. Synodica Concilii Sardicenis, quam refert Theodoretus lib. 2. c. 8. in edit. cit. tom. 3. pag. 163.

Ex quo autem illud dissidium terminatum est, hypostasim pro persona Concilia semper usurparunt. Hoc perspicuum est ex Concilio secundo Œcumenico, seu Constantinopolitano I. in Synodica ad Damasum epistola, quæ scripta fuit post dissidium supra expostum super controversia de hypostasibus, in qua Patres unam divinitatem, & potestatem Patris, & Filii, & Spiritus S. in tribus perfectis subsistentiis; seu hypostasibus, sive in tribus perfectis Personis profitentur. Idem constat ex Concilio Ephesini anathematismo secundo, & quarto; & Chalcedonensi actione

5. in secunda confessione fidei. Ex quibus omnibus constat, has formulas, *tres hypostasas*, vel *tres Personas aëo Athanasii necdum fuisse receptas*, vel confessas.

192. Probatr nunc, quod Athanasius has formulas ægerime tulerit, ex hæc ipsa Synodica; nam postquam ibi scripsisset, ut tabellam, quam nonnulli jactabant, quasi ex Sardiceni Concilio de fide conscripta esset, ne quidem legi, aut proferri sinant, eo quod nihil tale Synodus definiverit; postquam ibidem retulisset Sardicensem Synodum indigne tulisse quocundam hominum sententiam, qui nonnulla Nicæno Concilio, quasi deessent, adscribere volebant, idque acriter contendebant, decretoque sancivisse, ne quid ulterius de fide scriberetur, neque alia professio fidei ederetur, ne illa, quæ Nicæna edita est, imperfecta crederetur; subjungit: *Quapropter si quis hæc, aut aliud quidpiam cavillabitur, compeste illum, & ad studium pacis inducite: nihil enim est, quod in his agnoscere possimus, nisi solum contendit studium.* Quos enim nonnulli inculpabant, quod tres hypostasas affirmarent, cum hujusmodi voces in Scriptura non reperiantur, ac proinde suspecte esse possint, auctores fuimus, ne quid amplius præter Nicænam Confessionem inquirant. Sed tamen de istis ob pervicaciam rixandi quæstio est habita. Ergo has formulas, & similes, extra Nicænam fidem quodammodo vagantes, ægerime tulit Athanasius.

193. Probatr denique has formulas Symbolo addi ab Athanasio fuisse prohibitum ex eadem Synodica, in qua paulo post initium ita habet: *Denique qui ab Arianiis redierunt, allicite ad vos — nihilque amplius ab illis exigatis, quam ut damnent Ariatorum hæresim, constanturque Sanctorum Patrum Nicæas promulgatam fidem.* Et paulo ante medium, post relatum nempe examen utriusque partis à se habitum, ita: *Omnes denique Dei gratia, post istarum vocum interpretationem,*

nem, communi consensu approbarunt meliorem; & exactiorem esse eam fidem, quæ Nicææ à Patribus exposita esset, & impostum sufficere debere, ut ejus fidei vocabula potius usurpentur. Et infra circa finem, quamvis hortetur Antiochenos, ne eos, qui tres hypostasies, & eos, qui unam hypostasim, & tres personas impostum cum facta à se in Cone. Alexandr. Catholica interpretatione dicerent, temere damnare, & rejicere velint, adeoque usum harum vocum, ut loquitur Nazianzenus lib. cit. ipsis patienter indulserit; tamen subiungit: *Ceterum cum istos tolerandos non censibitis*, (videlicet qui tali interpretatione non utuntur) *consuletis illis, qui recte interpretantur; & recte sentiunt, ne ulterior ulla inter vos adhibeatur distinctio, neve verborum pugnis studeant ad nullam rem utilis, sed sensus pietatis exhibeant. Nam qui ita affecti non sunt, sed tantum super istiusmodi vocalis contentiose rixantur, & aliud quidpiam, præterquam quod Nicææ scriptum est, requirunt; hi profecto nihil aliud agunt, quam quod proximo suo turbidam subversionem propinant, ut pacis inimici, & schismatum cupidi. Ergo ab Athanasio fuit prohibitum has, & similes formulas Symbolo addi, vel saltem optatum ne adderentur, quod sufficit ad præsens intentum. Quod sic promoveo.*

194. Ex dictis constat I. has formulas, tres hypostasies, aut tres Personas aeo Athanasio necdum fuisse receptas, multo minus concessas. II. Athanasium dum has voces audisset, utramque partem acceperisse, & ut loquitur Nazianz. in citato Panegyri. verborum sententia diligenter, & accurate perpensa, posteaquam concordas reperit, nec quantum ad doctrinam quicquam inter se dissidentes, ita negotium transigisse, ut, nominum usum ipsis concedens, rebus eos constingeret. III. Eundem, sicut omnium, ita & harum vocum novitatem ægre tulisse, & censuisse meliorem, & exactiorem esse

eam fidem, quæ Nicææ à Patribus exposita fuit. IV. Denique prohibuisse, vel saltem optasse, ne similia vocabula addantur, cum dicat, Nicænam fidem impostum sufficere debere, utque ejus fidei vocabula potius usurpentur. Ergo nec ante hoc Concilium a. C. 362. à se Alexandrie celebratum, nec post illud usque ad a. C. 373. quo mortuus est, prudenter judicari potest, eum hoc Symbolum condidisse, & consequenter verosimilius non est ejusdem Author. Qui enim, amabo, horum verborum sensum diligenter, & accurate inquisivit, qui ea verba diu ante Romæ, vel Treviris Symbolo suo inseruit? vel quomodo illas voces ægre tulit, quæ dudum ipsi placuerunt? aut quomodo Sardicenis decreti, à se toties jactati, prohibitionis, aut voti sui, ut ab his vocalis abstineretur, cum meliore, & exactiorem indicaret fidem Nicænam, tam brevi obitus fuit vir ille, cujus maxima virtus erat constantia; si hoc Symbolum post hanc Synodum tandem edidit? ego quidem non video. Sed momenta affirmantium expendamus.

Expenduntur momenta Affirmantium.

195. **O**bjiciunt primo positiva veterum Patrum testimonia. Et primo adducunt S. Gregorium Nazianzenum Athanasii Panegyristam, qui in cit. sua de laudibus ejusdem oratione dicit: *Atque Imperatori donum vere regium, & magnificentum offert, scriptam nimirum fidei confessionem adversus novum dogma nupquam in Scriptura expressum; sed per hanc fidei confessionem Nazianzenus intelligit præsens Symbolum: ergo Athanasius est ejusdem Author. 2. Ajant in fragmentis S. Hilarii, qui obiit a. C. 367. vel 368., adeoque ante Athanasium, & Gregorium Naz., qui a. 389. defunctus est, legi, hunc Patrem hoc Symbolum Athanasio tribuisse. 3. Dicitur, S. Augustinum, qui obiit a. C. 440. Tr. in Ps. 120. expli-*

gan-

cantem illud: *Per diem sol non uret te, sic ajere: De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchre locutus est: Filius, inquit, à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. En citatum ab illo S. Athanasii Symbolum! Qui insuper aliis in locis, uti l. 5. de Trinit. c. 8. item serm. 195. & in Enchiridio c. 36. ipsissima sæpe verba hujus Symboli refert, sine mentione tamen S. Athanasii: ergo idem quod prius.*

196. Ad testimonium Nazianzeni Relp. N. m. non enim S. Pater ibi loquitur de Symbolo, de quo litigatur, sed de epistola Synodica ab Athanasio ad Jovianum Imper. scripta nomine omnium Episcoporum Ægypti, Thebaidos, ac Libyæ: quæ præter nudum Nicænum Symbolum, quod Imperator offert, & commendat, his de Spiritu S. verbis clauditur: *Sed nec alienavit Spiritum S. (Nicæna Synodus) à Patre & Filio, sed eum una glorificavit cum Patre & Filio, & in una sanctæ Trinitatis fide, eo quod una sit in sancta Trinitate Deitas. Habetur hæc Synodica apud Coletum tom. 2. pag. 957. Hanc autem Synodicam, non vero præsens Symbolum à Nazianzeno intelligi inde fit manifestum, quod præsens Symbolum tam secundum affirmantes, quam secundum negantes ab initio fuerit latino sermone editum; Confessio autem fidei, quam obtulerat Athanasius Imperatori Joviano homini Græco, græcè fuisse exaratum, non est, qui audeat inficiari: non potest igitur confundi hæc confessio cum Symbolo, de quo nunc est questio.*

197. Sed ut hanc autoritatem, quæ rem conficeret, si de illo, quod in disceptionem adducitur, Symbolo loqueretur, proflus emerem; atque invicte probem, per donum illud regium à S. Athanasio Imperatori Joviano missum non intelligi præsens Symbolum, sed Confessionem, seu Synodicam citatam; historiam secundi hujus Alexandrini Concilii ab Athanasio celebrati ex Theodoretii bis-

Eccl. l. 4. desumptam, & apud Coletum cit. tom. 2. pag. relatam, cum §. Oratio nis S. Greg. Naz. ab affirmantibus citato hic confrontabo: quo spero futurum, ut quilibet palpet S. P. Gregorium per hoc donum regium dictam Synodicam intelligere. Historia ergo sic sonat: *Athanasius, postquam Julianum, quem & cito deserturum divino oraculo præmonitus senserat, defunctum, exulesque Episcopos à Joviano per editum revocatos esse audivisset, literasque Imperatoris, fidem doceri præsentis, accepisset, citra omnem moram primarios Ægypti, Thebaidis, ac Libyæ Episcopos Oribodoxos sibi subditos, ad hanc Synodum Alexandrinam convocavit. Quæ deliberatione prævia, cum consilio decretum est, ut scriptum Catholice fidei libellum e vestigio ad novum Imperatorem mitterent, ne ille (quod Constantio accidit) ab hæreticis præoccupatus, in impietatem transversus panitus ageretur, &c.*

198. Locus autem S. Greg. Naz. sic habet: *Hoc porro (Juliano Apostata) extincto, Imperator alter exoritur, — qui ut præclarissimum sui fundamentum faceret, rellamque legum sanctionem, unde conveniebat, auspicaretur: cum omnes alios Episcopos, tum ante omnes, qui omnibus virtute antecollebat, ac citra dubitationem ullam pietatis causa bello vexatus fuerat, ab exilio revocat (id est Athanasium). Quæ etiam fidei nostræ veritatem à multis laceratam, atque in sexcentas opiniones, partesque distractam sibi tradi postulavit. Atque hic potissimum Athanasius puritatis fidei in Christum firmæ, & constantis specimen edidit, — atque Imperatori donum vere regium, & magnificentum offert, scriptam nimirum fidei confessionem adversus novum dogma nusquam in Scriptura expressum. Videlicet illam, in qua, teste eodem Gregorio, primus ille & solus, aut cum admodum paucis (id est cum Provinciali hoc Concilio) veritatem palam, aperisque ver-*

bis

bis pronuntiare non dubitavit; unam
 trinum Personarum (en Synodice hujus
 clausulam N. 195. relata) divinitatem,
 & essentiam scripto confessus. Quid clari-
 us, quid apertius in favorem nostræ sen-
 tentiæ? Theodoretus dicit, Jovianum li-
 teris Athanasium de transmittenda Con-
 fessione fidei rogasse. Idem dicit Grego-
 rius. Theodoretus dicit, Athanasium his
 litteris commotum hanc Synodum cele-
 brasse, & hanc Synodicam Imperatori mi-
 sisse: idem dicit Gregorius. Quo jure ergo
 affirmantes hac autoritate tam enormiter
 in suam favorem abutuntur, quæ illorum
 sententiæ jugulum tam aperte perit? Siqui-
 dem I. ex Panegyrii Gregorii manifeste se-
 quitur, sanctissimum, & perspicacissi-
 mum huic Patrem, Athanasium coævum &
 supparem, hoc Symbolum prorsus igno-
 rasse (alias enim illud non præterivisset in
 enucleata illa oratione) & consequenter
 ab Athanasio nusquam esse compositum. II.
 Ex ipsa Synodica liquet, Athanasium in
 hoc secundo Concilio, sicut in primo,
 elapso anno à se celebrato, longe fuisse à
 novo Symbolo condendo; dicit enim post
 transcriptum Symbolum Nicænum in eam-
 dem Synodica: *In hac, Auguste, omnes
 oportet manere, neque quidquam inde
 transmutare artificis, contentionebusque
 verborum.* Quia hoc nempe faceret Ari-
 ani, contra quos scribit, Nicænum Con-
 ciliium hoc Symbolum edidisse. Si ergo
 Athanasius Romæ, vel Treviris præter
 Symbolum tam absolutum edidit, & Ju-
 lio Papæ præsentavit, quare illud, in ser-
 monein græcum veritum, Imperatori non
 misit? An ergo (si superis placet) intra
 8. menses, quibus Jovianus imperavit,
 prioris consilii poenitens, explicatius hoc
 illi communicavit? aut illud tandem con-
 tra propriam sententiam toties inculcatam
 postea pro instructione ocularum suam
 ut vult Liberius, elucubravit? Sed pro-
 cedamus ulterius.

199. Opponit Liberius: Hanc episto-

lam Synodicam ex eo non posse esse illam,
 de qua testatur Naz. quia S. P. dicit, Athana-
 sium hoc donum vere regium misisse;
 hæc vero epistola scripta est nomine Atha-
 nasis, & Episcoporum Thebaidis, Ægypti,
 & Libyæ.

Sed hæc Replica non urget: Gregorius
 enim aperte dicit, Athanasium unam Tri-
 nitatis Divinitatem, aut solum, aut cum
 admodum paucis, videlicet cum dictis
 Episcopis, quos propteranter collegerat,
 confessum fuisse. Et cum ipse titulus epis-
 tolae ita habeat: *Religiosissimo, & Cle-
 mentissimo Victori Augusto Joviano,
 Athanasius, & Episcopi, &c.* illeque
 fuerit Concilii Præses, eidem hoc donum
 à Gregorio panegyricè tribui potuit.

200. Replicat. Per hoc donum regium
 non posse adhuc dictam epistolam Synodi-
 cam intelligi; quia in ea non continetur
 nisi Symbolum Nicænum, quod non est
 Athanasii.

Resp. Gregorium numquam dixisse,
 Athanasium Joviano misisse Symbolum à
 se compositum; sed scriptam fidei Confes-
 sionem adversus novum dogma, dicen-
 tium, Spiritum S. esse creaturam; quod
 an non præliterit in hac Synodica, ne-
 gent, si possunt adversari; in ea liquidem,
 præter Nicænum Symbolum, continentur
 de Spiritu Sancti Divinitate ea, quæ tes-
 timonio S. Gregorii prorsus conveniunt,
 nempe *Confessio de Spiritu S. Divinitate;
 & de una Trinitatis Deitate.*

201. Sed adhuc instat Eximius Pole-
 micus: Nazianzenum loqui de Symbolo
 Athanasiano constat ex Demetrio Cido-
 nio CP. lib. de processione Spiritus S. c. 6.
 ex Genebrardo Theologo Parisiensi, & ex
 Billio.

Respondeo, ad autoritates privatorum
 Doctorum, præsertim illorum sæculorum,
 ubi hoc Symbolum sub nomine Athanasii
 invaluerat, opponendo ipsam cum viris,
 si non majoris, saltem paræ in hac mate-
 ria autoritatis, historicam veritatem su-
 pra clare expositam, & evictam.

202. Ad locum ex S. Augustino à Bel-
 larmino, & Posselvino LL. cc. allatum
 respondent Patroni sententiæ negativæ,
 hæc sententiam nequaquam esse Augus-
 tini; quia Lovanientes jam olim adnota-
 runt hæc nullatenus legi in Miss. omnibus
 à se perlustratis S. Augustini operibus. Idem-
 que advertunt Doctissimi Monachi Sanger-
 manenses in sua recensione operum ejus-
 dem S. Augustini. Genuina ergo verba Au-
 gustiniana I. supra cit. sunt hæc: *Ergo
 alium solem fecit Deus, qui oritur super
 bonos, & malos; istum quem vident boni,
 & mali: alius autem est ille sol, non
 factus, nec creatus, sed genitus.* Illa ergo
 verba, de hoc sole P. Athanasius, &c.
 typographia antiquiora esse non videntur,
 sed ab aliquo sciolo, cui Symbolum Atha-
 nasis familiare fortasse fuit, calculus typis
 subiecta. Vide etiam eruditissimos PP. Be-
 nedictinos Congr. S. Mauri in cit. operum
 S. Aug. edit. tom. 4. pag. 1381. ubi supra
 cit. textum Aug. hanc Gl. faciunt: *Hic
 Parisenses, & Veneta antiquiores editio-
 nes id inscriptum habent, de hoc sole P.
 Athanasius, &c. Quæ revera absunt à nos-
 tris omnibus Miss. nec reperiuntur in edi-
 tis Ambracii, Erasmi, & Lovanien-
 sium.* Ex quo ad subnexa ex eod. S. Augus-
 tino testimonia ajunt, non esse rationem,
 cur posterior Auctor hujus Symboli præ-
 fata verba ex Sancto Augustino potius,
 quam ille ex ejus Symbolo, quo suo tem-
 pore necdum fuit, desloravit. Præterquam
 quod nec novum, nec mirum videri de-
 beat, Patres in materia Symbolica in ali-
 quibus sententiosis verbatim convenire.
 Quod multis exemplis monstrare possem,
 si angustia operis pateretur.

203. Nec verius est, inquit Natal.
 Alex. quod alii dicunt, (& responderetur
 ad tertiam autoritatem) S. Hilarium in
 fragmentis hoc Symbolum tribuisse S. Atha-
 nasio; licet enim Pitheæanus codex mon-
 neat, in codice quodam Devernensi, post
 Symbolum Nicænum, & damnationem
 Arii, in Concilio Ariminensi à Catholicis

exaratam, sequi fidem dictam à Sancto
 Athanasio: non propterea certum est,
 quod Symbolum istud S. Hilarium ipse des-
 criperit; sed verisimilius est, fuisse frag-
 mentis Hilarianis additum. Maxime eum
 recentiori manu scriptus sit codex Pitheæ-
 anus, ex quo fragmenta illa edita sunt, ut
 testatur vir clarissimus, & doctissimus Ni-
 colaus Faber in præfatione. Exiguam ergo
 sententiæ affirmativæ ex Patribus Athana-
 sio coævus, vel supparibus accedit præ-
 sidium. Nunc videamus, quid subsidii ex
 Scriptoribus post Sæculum septimum ac-
 quirat?

204. Obijciunt II. Hoc Symbolum à
 Sæculo septimo à Patribus, Synodis, &
 Scriptoribus Ecclesiasticis uno veluti ore
 sub S. Athanasii nomine refertur: ergo
 Athanasius esse ejusdem indubitatus Author.
 A. probant inductione; & imprimis Sæ-
 culo septimo, seu a. 670. illud Athana-
 sio tribuit Synodus Augustodunensis supra
 N. 174. citata. Imo a. 633. aliqua ex isto
 Symbolo videntur descripta in ea fidei con-
 fessione, quæ edita est à Concilio Tole-
 tano IV., & quæ videtur esse ipsum Sym-
 bolum Athanasianum aliquomodo abbre-
 viatum. Idem Symbolum Sæculo IX. sub
 Athanasii nomine laudarunt Manuel Cal-
 leca lib. 11. contra Græcos, Æneas Parisien-
 sibus, Hincmarus Archi-Episcopus
 Rheimensis supra citatus. Sæculo pariter
 XI. illud sub nomine S. Athanasii lauda-
 vit Abbo Floriacensis in apologetico ad
 Reges Francorum Hugonem, & Robertum.
 Sæculo denique XIII. ut supra retu-
 limus, Gregorius IX. Apocifariis suis
 hoc Symbolum sub Athanasii nomine tan-
 quam telum contra Græcorum de Spiritu
 S. processione errorem commendavit. Et
 Sæculo XV. seu a. 1439. idem, sub eo-
 dem nomine, Armenis commendavit Eu-
 genius. Accedit S. Th. autoritas supra ex
 2. 2. q. 11. a. 10. allata, ubi hoc Symbo-
 lum discretis verbis Athanasio tribuit.

205. Confirmatur primo ex ipsa Græ-
 corum Schismaticorum autoritate, qui

posit Concilium Florentinum maluerunt per summam impudentiam effutire, S. Athanasium fuisse ebrium, dum hoc Symbolum componeret, quam illud eidem abjudicare. Quos Gennadius eam ob causam exagitat.

206. Confirmatur secundo auctoritate Breviarii Romani, toties, & cum tanta maturitate à Viris præstantissimis revisi, in quo tamen rubrica de Symbolo Athanasiano non fuit expuncta.

207. Ut à tot tantique testimoniis se se expediant negantes, respondent: Pontifices, Concilia, & Scriptores illorum Sæculorum citatis locis ex professo non discussisse, an hoc Symbolum, quod sub nomine Athanasii citarunt, revera Athanasianum sit, vel non: sed illud sub hoc nomine simpliciter laudasse, quia illud ita citandi mos inoleverat. Quia multi Scriptores illorum Sæculorum multos libros Patrum antiquorum sæpe citarunt, de quibus tamen post herculosos Benedictinorum, aliorumque Criticorum labores in percensendis, & edendis Patrum operibus certo jam constat, illos horum librorum non esse auctores. Quod autem hoc Symbolum non semper fuerit in Ecclesia sub nomine Athanasii citatum, sed mos illud ita citandi paulatim inoleverit, præter superius N. 180. dicta (ubi etiam rationem, quare hic mos inoleverit, ex Anthelmio adduximus) demonstrant duo latina Plæteria antiquissima, apicibus antiquissimis scripta, ab Usserio vidâ, quemadmodum testatur in Epistola ad Gerardum Vossium, quæ in supra cit. diatriba de Symbolo Romano vetere habetur pag. 2. in quorum primo, quod Gregorii I. temporibus recentius non esse colligit, tum ex antiquo picturæ genere, tum ex literarum forma grandiuicula, Symbolum Athanasianum nudum *fidei Catholice* præter titulum. In posteriori vero, quod Regis Æthelstani, Sæculo X. regnantis, aliquando fuit, jam *fidei Athanasii Alexandrini* titulo insignitur.

Cum ergo Gregorius M. obierit Sæculo VII. adhuc in cunis agente, seu a. c. 604. ex testimonio hujus codicis valde verosimile sit, hoc Symbolum, ut supra cit. N. 180. vidimus, prius sub nudo titulo *Catholice fidei* fuisse recitatum, & tandem ex conjectura, fundata in hoc, quod hoc Symbolum Trevis, ubi Athanasius aliquando degit, sit primo inventum, ejusdem nomen eidem fuisse tributum. Vel etiam ex eo, quod illud Vigilii Tapfensis sub nomine Athanasii sub finem Sæculi V. ediderit. De quo mox videbimus.

208. Ad primam Confirmationem respondeo: Græcorum illius Sæculi, quo Symbolum præfens omnium ore Athanasio adjudicatam fuit, auctoritatem non esse majorem, quam Latinorum: qua tamen non obstante, Viri gravissimi, & eruditissimi, simulque critica ex professo vitam pene impendentes (quod illis Sæculis factum haud est, saltem ita ex professo) moderna tempestate, ex gravissimis rationibus à nobis supra digestis, illud eidem abjudicant.

209. Ad secundam Confirmationem Resp. cum SS. Papa nostro Benedicto XIV. De servorum DEI Beatificatione, & Beatorum Canonizatione l. 4. p. 2. c. 13. n. 8. pag. 80. edit. Patav. de anno 1743. ubi ait: *Videtur quidem tuto pede asseri posse, non modicum auctoritatis pondus factis historicis accedere, quæ relata sunt, & approbata in Breviario Romano (æquis enim de hac assumptione poterit dubitare, postquam certum est, Breviarium Romanum pluries fuisse recognitum, atque emendatum, habito tot Virorum pietate, & doctrina illustrium consilio) attamen ita, ut vetitum existimari non possit, debita cum modestia, & gravi fundamento, quæ occurrunt in factis historicis difficultates exponere, easque judicio Sedis Apostolicæ supponere, ut earum robur, & veritatem perpendat, si quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem: quæ ipsa videtur esse sententia*

tentia plurimorum, qui de historiis relatis in nonnullis lectionibus secundi Nocturni Breviarii Romani dubitare visi sunt. Itaque, juxta mentem Sanctissimi, & Eruditissimi Patris nostri, auctoritas Breviarii Romani factis historicis in illud relatis magnum quidem, sed non omnino irrefragabile pondus addit: contra cujus auctoritatem proinde debita cum observantia, & nudæ veritatis inquirendæ gratia sentire, sententiamque quæsitis rationum ponderibus stabilire, non est sciole, sed utiliter ad futuram fortasse iteratam ejusdem correctionem laborare.

COROLLARIUM.

Supposita veritate sententiæ negantium, non constat certo de Auctore hujus Symboli; probabilis tamen videtur, illud editum fuisse à Vigilio Tapfensi in Africæ Episcopo, qui sub finem V. Sæculi floruit.

210. PRIMA pars Corollarii constat ex confictu Authorum, quorum alii illud Vincentio Lirinensi, alii Eusebio Vercellensi, alii Anastasio Synaitæ (decepti forsitan affinitate nominis) alii cuidam Theologo Gallo Pipini, & Caroli Magni temporibus florenti, alii denique alicui ex Galliæ Patribus sæculo V. florentibus adscribunt. Ex quibus, ut breviter dicam, illorum sententia nullatenus sustineri potest, qui ejus Epocham ad Pipini, & Caroli M. tempora, id est, ad sæculum VIII. referunt; cum illius sub Athanasii nomine mentio jam sæculo VII. habeatur, ut supra vidimus. Prima etiam & secunda sententia facile distillat à Criticis, uti videri potest in Anthelmio, Montfauconio, Merati, Nat. Alex. LL. ce. Postrema majorem veritatis speciem præferre videtur, quam & sustinet Montfauconius; tum quia in Galliis cepit manifestari Symbolum, & in earum Metropoli Trevisi primo reperitum fuit ejusdem Symboli exemplar; tum

quia à Gallis Scriptoribus primo fuit celebratum, & à Gallicanis Synodis, nec non Episcopis primo receptum, atque commendatum: & denique in Gallicanis Ecclesiis primo decantatum. Accedit, quod sæculo V. Gallia Viris pietate, & doctrina præstantissimis abundaverit, qui tanti operis parentes non indigne censeri possunt. Sed cum fieri poterit, ut hoc exemplar aliunde Trevisum sit allatum, & consequenter rationes allatae sua sponte concidant: hinc

211. Probatur secunda pars Corollarii, quam Quænellius in *appendice ad dissert. 14. in opera S. Leonis M.* nervis omnibus demonstrare contendit, & amplectitur Nat. Alex. l. cit. Primo auctoritate Codicis Thuanaei, in quo, præter dialogum adversus Arianos, Sabellianos, & Photinianos sub Athanasii nomine à Vigilio editum, proxime legitur Symbolum Athanasianum sub hoc titulo: *Fides dicta à S. Athanasio Episcopo.* Et revera huic Vigilio familiare fuit, sæviente Wandalarum in Africa persecutione, opera à se elucubrata non suo, sed antiquorum Patrum nomine prænotare: sic prætatum dialogum sub nomine, ut diximus, Athanasii composuit, ut ipsemet in præfatione hujus dialogi fatetur, his verbis: *Sabellium, Photinum, Arium, atque ad nostras partes Athanasium adduxi, ut veritas ad omnium notitiam perveniret.*

212. Secundo. Hæc conjectura firmari potest ex eo, quod Theodulphus Abbas Floriacensis, & deinde Episcopus Aurelianensis, qui claruit a. 835. hoc Symbolum citet ex illis Athanasii libris, qui tamen Vigilii Tapfensis esse jam certo cognoscantur, cura & studio eruditissimi P. Chiffletii; quique in antiquo, & probe noto codice Floriacensi cum Vigilii libris adversus Nestorium & Eutichen conjunguntur. Ex quibus

213. Tertio alia desumitur conjectura huic favens opinioni; quia idem Vigilii libris suis Nestorianos, atque Eutichianos

impetere solebat, quod consilium à Symboli Authore sibi quoque propositum fuisse videtur: & sic optime corresponderet temporis, quo hæc elucubratio exarata censetur, nimirum post Synodos Ephesinam, & Chalcedonensem, in quibus Nestorianæ, & Eutichianæ erroneæ doctrinæ diligenter discussæ, & tamquam impia dogmata proscripta fuere. Ideo autem Vigilii hoc Symbolum sub nomine Athanasii adornavit, quia summam Athanasianæ fidei, præsertim eam, quæ respicit Mysterium SS. Trinitatis, ex ejus operibus collectam, clare & succincte continebat: & ne quædam Africanorum Episcoporum de condita hujus fidei formula in suspicionem apud Hæreticos deveniret, ac propterea in certissimum vitæ discrimen adduceretur. Aliunde Pastoralis Officii partes existimavit, periclitanti populo suo suppetias ferre, & simplicioribus Christianis eam fidei professionem exhibere, quæ catholicam fidem contra Ariana, Nestorianæ, & Eutichianæ sectæ errores pure, nitide, breviterque exponeret. Quemadmodum autem Vigilii opera in Gallias, ita & hæc Confessio Trevirum, sævientie illa Wandalarum in Africa persecutione, adferri potuit, eidemque, vel occasione illorum librorum, quibus hæc fides sub nomine Athanasii est inserta, vel ex eo, quod Athanasius Treviris quandoque manserit, Symboli Athanasii nomen adscribi.

214. Contra hanc opinionem ita objicit Liberius à JESU. Veruntamen hæc conjectura facile diffatur. Vir emunctæ naris, & veritatis zelator ab omni mendacioso abstinet. Neque hoc erat opportunum firmandæ, sed potius infirmandæ veritatis medium. Hæreticis enim perfacile erat mendacium detegere circa authorem, & doctrinam rejicere.

Resp. I. Doctissimum Patrem Liberium, dum Vigilio hoc Symbolum adjudicat, ne ipsum mendacii arguat, ejusdem eum rem facere, quod dialogos suos, se ipso teste, & alia opera, testante veritate, Athanasii no-

mine evulgaverit. Et consequenter hoc argumentum valde parum infirmare hanc opinionem.

Resp. II. Cum hoc Symbolum ex operibus S. Athanasii majori ex parte sit constatum, sine mendacio dici potest fides S. Athanasii; & consequenter à simili Hæreticorum calumnia nullo negotio vindicari.

215. Pro coronide concludo cum Marti l. c. Ex his opinionibus seligat Lector, quæ sibi magis arriserit, & quæ solidioribus fundamentis innixa sibi visa fuerit, cum nulla circa Authorem ejusdem Symboli sententia definitiva ab Ecclesia adhibita fuerit pronuntiata; cujus judicio hæc de Symbolo Athanasii dicta devotissime sint subiecta.

§. VI.

De Symbolo Lateranensi.

216. **O**cto sæculis, & triginta annis à condito Symbolo CP. Nicæni explicativo, prodit præfens Symbolum, in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. Summo Pontifice, & Friderico II. Romanorum Imperatore, assidentibus Hierosolymitano & CP. Patriarchis, Antiocheni, & Alexandrini Legatis, & totius fere orbis Episcopis, Principumque Legatis (ut habent Correctores Romani c. 1. de summa Trinitate) a. c. 1215. celebrato, editum, & postea à B. Raynundo de Peñafort Sacramenti Ordinis Prædicatorum præfenti titulo præfixum, atque in duo capitula distributum, cujus tenor est sequens.

217. *Firmiter credimus, & simpliciter consistemus, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus S. Tres quidem Personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus S. pariter ab utroque, abs-*
que

que initio semper ac sine fine: Pater generans, Filius nascentis, & Spiritus S. procedens: Consubstantialis, & coequalis, & coimpotens, & cœterni: Unum universorum Principium: Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium: qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem: angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Diabolus enim, & alii Dæmones à DEO quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestionem peccavit. Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen, & SS. Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem unigenitus DEI Filius J. C. à tota Trinitate communiter incarnatus ex Maria semper Virgine, Spiritus S. cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus, una in duabus naturis Persona, vitam manifestius demonstravit. Qui, cum secundum divinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est mortalis, & passibilis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno Crucis passus, & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in celum: sed descendit in animam, & resurrexit in carne: ascenditque pariter in utroque, venturus in fine sæculi, judicaturus vivos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua tam reprobis, quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala: illi cum diabolo penam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.

Una vero est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua ipse Sacerdos est Sacrificium J. C. cujus Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis accipimus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesie, quas ipse concessit Apostolis, eorumque Successoribus J. C. Sacramento vero Baptismi (quod ad DEI invocationem, & individua Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus S. consecratur in Aqua) tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesie à quocumque rite collatum, proficit ad salutem. Et si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potestatem semper penitentiam reparari: non solum autem Virgines, & continentem, verum etiam conjugati per rectam fidem, & operationem bonam placentes DEO, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

Dammamus ergo, &c. & quæ sequuntur c. 2. h. r. quæ quamvis ad eundem tractatum de fide pertineant, quia tamen prolixa sunt, & per modum anathematismorum, hic omittuntur.

218. Occasionem huic Symbolo, uti præcedentibus, dederunt Hæreses Albigenium, Amalari, & error Abbatis Joachim, cæteroquin Catholici, uti patet ex fidei dogmatibus in illo stabilitis. Nam primo contra errorem illum Albigenium, à veteribus Manicheis derivatum, quo duo principia suprema rerum admittebant, in hoc Symbolo asseritur: Unum solum esse verum Deum, unum universorum Principium, Creatorem omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, dæmones à Deo creatos natura bonos, per se factos esse malos, ha-